

heredem reliquerat: et divortium factum erat: vir deinde petebat a muliere mercedes, quas mater debuerat: placuit exceptionem mulieri dari non debere: ac si inter se et virum non convenisset, *ut hæc mercedes sibi alimentorum nomine darentur*: cum futurum sit, ut quodammodo donationes inter virum et uxorem confirmantur: nam quod annui nomine datur, species est donationis.

23. AFRICANUS, lib. 7 Quæstionum.

Pater, cum filie suæ nomine dotem daret, pactus est, *ut mortua²⁷ filia, uno pluribusve liberis superstitibus, deducta parte tertia reliqua dos sibi, aut post mortem suam illi aut illi filijs, quos in potestate habebat, reddatur*: deinde hæc ita fieri stipulatus est: post mortem ejus mulier in matrimonio decesserat relictis filiis: quæsitum est, an ex stipulatione duas partes illi petere possint? Respondi, posse: etenim vim ejus stipulationis hanc esse, ut si in matrimonio mortua esset, dos patri redderetur: et perinde habendum, ac si talis stipulatio interposita fuisset, *si navis ex Asia venerit, mihi, aut post mortem meam Lucio Titio dari spondes?* nam et si post mortem stipulatoris navis venisset, heredi deberi.

24. FLORENTINUS, lib. 3 Institutionum.

Si inter virum et uxorem pactum est, *ut certa pars dotis, vel tota ob unum vel plures liberos intervenientes retineatur*: etiam eorum liberorum nomine, qui ante nati sunt quam dos daretur aut ampliatur, conventio rata est: nam sufficit, eos ex eo matrimonio nasci, in quo dos data est.

25. ULPIANUS, lib. 1 Responsorum.

Quod de reddenda dote, *si data fuisset, mortua in matrimonio filia, conventi, idem de non petenda quoque videri convenisse*: ac patrem pacti conventi exceptionem [nancum] ad heredem suum transmisisse.

26. PAPINIANUS, lib. 4 Responsorum.

Inter socerum et generum conventi, *ut, si filia [mortua] superstitem anniculum filium habuisset, dos ad virum pertineret; quod si vivente matre filius obisset, vir in dotis portionem, uxore in matrimonio defuncta, retineret*: mulier naufragio cum anniculo filio periit: quia verisimile videbatur²⁸, ante matrem infantem perisse, virum partem dotis retinere placuit. — § 1. Vir dotem, quam ex pacto filie nomine retinere potuit, si lapsus errore non retinuit, filiam, quæ patris sola, matri pro parte heres exstiterit, apud arbitrum divisionis non improbe dotis per partem a patre solute præceptionem dividere constituit. — § 2. Cum inter patrem et generum conventi, *ut, in matrimonio sine liberis defuncta filia, dos patri restituatur*, id actum inter contrahentes intellegi debet, ut liberis superstitibus filia defuncta dos retineatur²⁹: nec separabitur portio dotis additamenti causa data, si postea nihil aliud conveniat. — § 3. Conventi, *ut mulier viri stupribus, quoquo iret, videretur*: atque ideo mulier pactum ad literas viri secuta, provinciam, in qua centurio merebat, petiit: non servata fide conventionis, licet directa actio nulla competat, utilis tamen in factum danda est. — § 4. Filia cum pro se dotem promitteret, pepigit, *ut, si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solvatur*. Pacto filie nulla³⁰ matri quaeritur actio: si tamen heres puellæ matri pecuniam dotis solverit, viro contra placita petenti dotem obstabit exceptio. — § 5. Pater, *si filia nupta mortem obisset*, dotem dari stipulatus est: constante matrimonio capitali crimine damnatus est: divortio secuto, vel morte viri soluto matrimonio, stipulationis conditio deficit: quod si mulier in matrimonio decesserit, ex stipulato fisco dotis actio quaeretur: post verum autem divortium renovatis³¹ nuptiis, non committitur fisco stipulatio, licet defuncta sit in matrimonio filia: quoniam ad primas nuptias pertinet.

27. Idem, lib. 1 Definitionum.

Si liberis sublatis reversa post jurgium per dissimulationem mulier, veluti venali concordio, *ne dotata sit*, conveniat, conventio secundum ordinem rei gestæ moribus improbanda est.

28. PAULUS, lib. 5 Quæstionum.

Quæris, si pacta sit mulier, vel ante nuptias, vel post nuptias, *ut ex fundi fructibus, quem dedit in dotem, creditor mulieris dimittatur; an valeat pactum?* Dico, si ante³² nuptias id convenerit, valere pactum; coque modo minorem dotem constitutam: post nuptias vero, cum onera matrimonii fructus relevaturi sunt, jam de suo maritus paciscitur, ut dimittat creditorem; et erit mera donatio.

²⁷ L. 45, § 2, infr. de verb. oblig. — ²⁸ L. 25, infr. de reb. dub. — ²⁹ L. 50, infr. h. t. — ³⁰ L. 69, in fin. infr. ad SC. Trebell. — ³¹ Fac. L. 77, § 9, infr. de legat. 2. — ³² L. 7, § 1, supr. de jure dot. — ³³ L. 1, in pr. supr. h. t. — ³⁴ L. 63, supr. de jure dot. — ³⁵ L. 50,

29. SÆVOLA, lib. 2 Responsorum.

Cum maritus, qui æstimata prædia in dotem acceperat, manente matrimonio pactus est circumscribere mulieris gratia, *ut prædia inæstimata essent*, ut sine periculo suo ea deteriora faceret: quæsitum est, an secundum priores dotales tabulas prædia æstimata remanerent, et periculum eorum ad maritum pertineret? Respondi, non idcirco id pactum, de quo quaereretur, impediri, quod³⁵ in matrimonio factum esset, si deteriore loco dos non esset: nihilominus, eo pacto admissio, si deteriora prædia faceret, eo etiam nomine dotis eum actione teneri. — § 1. Titius mulieris nomine dotem dedit, et stipulatus est *in casum mortis, et divortii*: divortio secuto, non repetita dote, Titius decessit: mulier, ex voluntate heredis ejus, redintegravit matrimonium: quæsitum est, an ex stipulato dotem petere possit? Respondi, heredem Titii, si consensisset³⁴ ut ea quantitas, quam ex stipulato consequi potuerat, dotis reconciliato matrimonio fieret, posse pacti exceptione summoverti. — § 2. Mulier de dote, quam dedit, pacta est, *ut, si in matrimonio decessisset, fratri ejus redderetur*: isque in eum casum stipulatus est: mulier decedens quasdam res dotales marito legavit, et aliis: quasdam ex servis dotalibus manumisit: quæsitum est, an maritus [earum] rerum nomine, quas legavit mulier, et servorum, quos manumisit, fratri tenetur? Respondi, nihil proponi, cur non teneretur: cum etiam heredes defunctæ tam legatariis, quam libertatibus obnoxii sint.

30. TRYPHONINUS, lib. 10 Disputationum.

Bæbius Marcellus Bæbio Maryllo, dotis filie suæ nomine, centena promiserat: et convenerat inter eos, *ne ea dos constante matrimonio peteretur*: vel, *si post mortem patris in matrimonio sine liberis filia decessisset, ut dimidia dos apud Maryllum remaneret, dimidia fratri mulieris restitueretur*: eaque etiam in stipulationem deducta erant: mortuo Marcello, filio et filia superstitibus, dote universa filie prælegata, Maryllus nata filia diventerat: et mulier decesserat, fratre suo et filia ex paribus æquis heredibus relictis: apud Petronium magnum prætorum Maryllus ab herede filio Marcelli ex dotis promissione universam dotem petebat, illa conjectura, quasi inter dos placuisset, *nullo filiorum exstante mortua muliere, partem dotis remanere apud maritum*: magis convenisset utique, totam ejus esse dotem, si filium filiamve habuisset. Ex diverso respondebatur, pacti quidem vulgaris exceptionem [etiam] heredi proficere: sed in specie, quæ proponitur, non quasi heres mulieris ex persona defunctæ: se exceptione pacti tuebatur; sed ipse [erat] ille, qui etiam viva muliere, si ab eo dos peteretur, potuisset [ea] exceptione Maryllum, quia divortium factum erat, summoverti: eandemque defensionem etiam post mortem sororis suæ retinebat. Itaque placuit, eum ab ea petitione absolvi, nulla ex hac sententiâ facta derogatione fideicommissi petitioni, quam jure hereditario per filiam heres uxoris Maryllus in parte dimidia habebat.

31. SÆVOLA, lib. 3 Quæstionum.

Si inter virum et uxorem conventi, *ut extremi anni matrimonii fructus nondum percepti mulieris lucro fiant*, hujusmodi pactum valet.

32. JAVOLENUS, lib. 6, ex posterioribus Labeonis.

Uxor viro fundum æstimatum centum in dotem dederat: deinde cum viro pactum conventum fecerat, *ut divortio facto, eodem pretio uxori viri fundum restitueret*: postea volente³³ uxore, vir eum fundum ducentorum vendiderat: et divortium erant factum: Labeo putat, viro potestatem fieri debere, utrum velit ducenta, vel fundum reddere: neque ei pactum conventum remitti oportere: idcirco puto hoc Labeonem respondisse, quoniam voluntate mulieris fundus venit: alioquin omnimodo fundus erat restituendus. — § 1. Si pater filie nomine certam pecuniam in dotem promiserat, et pactus est, *ne invitus eam solveret: nihil ab eo exigendum puto: quia id, quod pacto convento, ne invitus exigeretur, convenerit, in dotis causam esse non videretur.*

TIT. V.

DE FUNDI DOTALI.

1. PAULUS, lib. 56, ad Edictum.

Interdum lex Julia² de fundo dotali cessat, si ob id, quod maritus damni infecti non cavebat, missus sit vicinus in possessionem dotalis prædij, deinde jussus sit possidere: hic enim dominus vicinus fit: quia hæc alienatio non est voluntaria. — § 1. Sed et per universitatem³

infr. soluto matrim.

Tit. V. — 1. Lib. 5, C. 23. — 2. L. 3 L. 4, L. 16, infr. h. t., pr. Inst. quib. alien. licet vel uxor; L. un. § 2, pen. C. de rei uxor. act. — 3. L. 62, infr. de acquir. rer. domini.

transit prædium, secundum quod possibile est, ad alterum: veluti ad heredem mariti: cum suo tamen jure, ut alienari non possit.

2. ULPIANUS, lib. 5, de Adulteriis.

Si maritus fuerit in servitute redactus, an dominus alienare hunc fundum non possit? Quod puto esse verius⁴. — § 1. Quare, et si ad fiscum pervenerit, nihilominus venditio fundi impeditur: quamvis fiscus⁵ semper idoneus successor sit, et solvendo.

3. PAULUS, lib. 56, ad Edictum.

Fundus dotali servo legatus, ad legem Juliam pertinet, quasi dotalis. — § 1. Totiens autem non potest alienari fundus, quotiens mulieri actio de dote competit, aut omnimodo competitura est.

4. GAIVS, lib. 11, ad Edictum provinciale.

Lex Julia, quæ de dotali prædio prospexit, *ne id marito liceat obligare⁶, aut alienare⁷*, plenius interpretanda est: ut etiam de sponso⁸ idem juris sit, quod de marito.

5. ULPIANUS, lib. 2, de omnibus Tribunalibus.

Julianus lib. 16 Digestorum scripsit, neque servitutes⁹ fundo debitas posse maritum amittere, neque ei alias imponere.

6. Idem, lib. 5, de Adulteriis.

Sed nec libertas servitutis urbano prædio dotali debite competit: ne per hoc deterior conditio prædij fiat.

7. JULIANUS, lib. 16 Digestorum.

Si maritus fundum Titii servitute dotali prædio adquisierit, servitus *confunditur*: [sed si eundem Titio reddiderit sine restauratione servitutis, hoc maritum imputabitur,] et hoc casu maritus litis æstimationem præstabit: quod si maritus solvendo non erit, utiles actiones adversus Titium mulieri ad restaurandam servitute dantur. — § 1. Sed cum uxor fundum, qui prædia viri servitute debebant, in dotem dat, fundus ad maritum pervenit amissa servitute: et ideo non potest videri per maritum jus fundi deterius factum: quid ergo [est?] Officio de dote judicantis continebitur, ut redintegrata servitute jubeat fundum mulieri vel heredi ejus reddi.

8. ALFENUS, lib. 3 Digestorum a Paulo epitomatorum.

Vir in fundo dotali, uxoris rogatu, olivetum succiderat: hoc ut novellum reponeret: postea vir mortuus erat, et uxori dotem relegaverat: ligna, quæ ex oliveto excisa¹⁰ essent, oportere mulieri reddi respondit.

9. AFRICANUS, lib. 8 Quæstionum.

Si marito debitori fundi id, quod debet, doti mulier promiserit, dotalem fundum effici. — § 1. Quod si ei promittat qui *fundum aut decem* debuit, in arbitrio esse mariti¹¹ quod in dote sit. — § 2. Quod si *Stichum* aut *fundum* debuit maritus, et quod debet, doti ei promissum sit: Stichus mortuus in dotem esse. — § 3. His consequens esse [ait], ut si *Cornelianum* aut *Sempronianum fundum* debenti, id quod debet, doti promissum sit, utrum eorum dotalem esse malit, hunc dotis esse: plane utrum velit alienaturum; alterum alienari non posse: si tamen alienum rursus redimat, adhuc in ejus potestate est, an eum, quem retinuisset, alienari velit.

10. PAULUS, lib. 5 Quæstionum.

Erit ergo potestas legis ambulatoria: quia dotalis fuit obligatio. Numquid ergo, [etiam] illo nondum redempto, alterum quoque alienare possit, quia potest alterum redimere? an hoc non debet recipi, ut nullus in dote sit? Certe ex postfacto videbitur recte alienatus, illo postea redempto.

11. AFRICANUS, lib. 8 Quæstionum.

Quod si fundus in dotem æstimatus datus sit, ut electio¹² esset mulieris: negavit alienari fundum posse: quod si arbitrio mariti sit: contra esse.

12. PAPINIANUS, lib. 1, de Adulteriis.

Etiam [si] dirempto¹³ matrimonio, dotale prædium esse intellegitur. — § 1. Socreri voluntas in distrahendo dotali prædio nulla est.

13. ULPIANUS, lib. 5, de Adulteriis.

Dotale prædium accipere debemus, tam urbanum¹⁴, quam rusticum: ad omne enim ædificium lex Julia pertinet. — § 1. Prædij appellatione etiam pars continetur. Proinde sive totum prædium in dotem sit datum,

⁴ Arg. L. 12, in pr. infr. h. t. — ⁵ L. 1, § 18, infr. ut legator. — ⁶ L. un. § pen. C. de rei uxor. act. — ⁷ L. 3, C. h. t. — ⁸ L. 5, in fin. C. de bonis, quæ liber. — ⁹ L. 6, L. 7, infr. h. t. — ¹⁰ L. 5, § 5, infr. de reb. eor. qui sub tutel. — ¹¹ Adde L. 7, § 12, infr. soluto matrim. — ¹² Immo vide L. 46, § 1, supr. de jure dot. — ¹³ L. 1, C. h. t. — ¹⁴ L. 2, in pr. supr. eod. — ¹⁵ L. 1, 198, infr. de verb. sign. — ¹⁶ L. 15, § 1, supr. qui satisfac. cogantur. — ¹⁷ Immo

sive pars¹⁵ prædij, alienari non poterit: et hoc jure utimur. — § 2. *Dotale prædium* sic accipimus, cum dominum marito quæsitum est: ut tunc demum alienatio prohibeatur. — § 3. Heredi quoque mulieris idem auxilium præstabitur¹⁶, quod mulieri præstatur. — § 4. Si, uxore herede instituta, fundus dotalis fuerit legatus, si quidem deductis legatis mulier quantitatem dotis in hereditatem habitura est, valet legatum: si minus, an non valeat quaeritur? Sævola, et si non totus, sed [vel] aliqua pars ex eo vindicari possit, si modo aliqua pars ad dotem supplendam desit, id dumtaxat ex eo remanere apud mulierem ait, quod quantitati dotis deest.

14. PAULUS, lib. 3, de Adulteriis.

Si nuptura Titio, voluntate ejus fundum dotis nomine Mævio tradit, dos ejus conditionis erit, cujus esset, si ipsi Titio fundum tradidisset. — § 1. Si mulieris nomine quis fundum in dotem dederit, dotalis fundus erit: propter uxorem enim videtur is fundus ad maritum pervenisse. — § 2. Si fundum alienum mulieri debeat maritus, eumque mulier ei dotis nomine promiserit, in pendenti erit: et tunc fiet dotalis¹⁷, cum ad eum pervenerit. — § 3. Si fundum legatum sibi dotis causa mulier repudiaverit, vel etiam substituto viro omiserit hereditatem, vel legatum: erit fundus dotalis.

15. PAPINIANUS, lib. 3 Responsorum.

Dotale prædium, cujus vir possessionem retinuit, post literas ad uxorem emissas, quibus *dotis non fore prædium declaravit*, in matrimonio defuncta muliere, virum retinere placuit: quia mulier actionem ex pacto non habuit.

16. TRYPHONINUS, lib. 11 Disputationum.

Si fundum, quem Titius possidebat bona fide, longi temporis possessione poterat sibi quaerere, mulier ut suum marito dedit in dotem, eumque petere neglexerit vir, cum id facere posset, rem periculi sui fecit: nam licet lex Julia, quæ vetat fundum dotalem alienari, pertineat etiam ad hujusmodi acquisitionem, non tamen interpellat eam possessionem, quæ per longum tempus sit, si, antequam constitueretur dotalis fundus, jam coeperat. Plane, si paucissimi¹⁸ dies ad perficiendam longi temporis possessionem superfuissent, nihil erit quod imputabitur marito.

17. MARCIANUS, lib. 7 Digestorum.

Fundum dotalem maritus vendidit, et tradidit: si in matrimonio mulier decesserit, et dos lucro mariti cessit, fundus emptori avelli non potest.

18. JAVOLENUS, lib. 6, ex posterioribus Labeonis.

Vir in fundo dotali lapidicinas¹⁹ marmoreas aperuerat: divortio facto quaeritur, marmor, quod cæsum neque exportatum esset, cujus esset; et impensam in lapidicinas factam mulier, an vir prestare deberet? Labeo marmor viri esse ait: cæterum, viro negat quidquam præstandum esse a muliere: quia nec necessaria ea impensa esset, et fundus deterior esset factus. Ego non tantum necessarias, sed etiam utiles²⁰ impensas præstandas a muliere existimo: nec puto fundum deteriorem esse, si tales sunt lapidicinae, in quibus lapis crescere possit. — § 1. Si per mulierem mora fieret, quo minus æstimationem partis fundi viro solveret, et fundum reciperet, cum hoc pactum erat: fructus interim perceptos ad virum pertinere ait Labeo: puto potius pro portione fructus virum habiturum, reliquos mulieri restitutum: quo jure utimur.

LIBER VICESIMUSQUARTUS

TIT. I.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM.

1. ULPIANUS, lib. 52, ad Sabinum.

Moribus apud nos receptum est, *ne inter virum et uxorem donationes valerent*. Hoc autem receptum est, ne mutato amore invicem spoliarentur², donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate.

vide L. un. C. de privileg. dot. — ¹⁷ L. 15, § 2, supr. h. t. — ¹⁸ Adde L. 50, § 1, infr. de usurp. et usucap. — ¹⁹ L. 7, § 15, infr. soluto matrim. — ²⁰ L. 7, in fin. infr. de impens. inf. res dotal. fact.

Tit. I. — 1. Lib. 5, C. 16. — 2. L. 51, § 7, infr. h. t.; N. 74, c. 4, in fin. pr.